



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Abadon & Sennen MM. 30. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

372 VITÆ SANCTORVM. 30.Iulii.  
ferocissimum & ultima minitatem animum de-  
mulserunt, & LVRVS tyrannum cicuravit. Cæte-  
rūm huic verborum modestiæ victus quoque ra-  
tio & vestitus responderunt. Et cibum quidem  
tertio primū die sumpsit, Sabbato cibario pane  
contentus. Vestem quoque unicam gestavit, sed  
subdititiâ alterâ ( cilicio ) superbam. Ex Surio &  
Nauclero.

Ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec Dia-  
bolus tibi aliquid faciet, nisi ille permittat, qui desuper  
habet potestatem, aut ad poenam, aut ad disciplinam.  
Ad poenam impiis, ad disciplinam filiis: Flagellat enim  
omnem filium quem recipit. S.Aug.in Ps. 31.

S.S. ABDON & SENNEN MM.  
30.Iulii.

**C**ensebantur ABDON & SENNEN inter primos  
Persiæ purpuratos. Et verò nisi cunæ in pa-  
triâ, mors Romæ purpuram donasset. Nam quod  
Christiano principe non indignum officium arbit-  
trarentur, Martyrum esse vespillones, suisque ma-  
nibus terræ mandare horum corpora gauderent,  
vincitos Decius Romam adduxit. Ibi ad tyranni  
tribunal steterunt auro gemmisque splendidi rei;  
sed extinguebant harum lucem catenæ ferreæ,  
quas nimium quantum gloriosi jactabant. Itaque  
cum munera ingentia promitteret tyrannus, si ad  
Deos transirent, risere scilicet, & ad omnia tor-  
menta provocarunt. Plumbatis igitur tentati, con-  
tra ferreos se præbuerunt. Inde in theatro feris ob-  
jecti; sed plausum meruere & victa Martyribus  
colla leones submisere, feræque cicures hominem  
contra feros homines visæ defendere. Reperti  
interim qui necem inferrent gladiatores. Sed &

Mar-

Martyres tales se probarunt, cùm jugulum fortiter gladio dederunt. Extincti triduum tumulo caruete, dum Cyrius plumbeis loculis clausum aurum defodit, quod iterum deinde erutum est in lucem, cùm Orbi Christiano Sol suus Constantinus luxit.

*Ex actis S. Laurentii.*

*Noli caduca & fugacia quæ tanquam cera liquescunt, admirari. Vivant alii cum Principibus familiariter; tu per orationem cum Deo versaris: tu unigeniti Filii Dei corpore vesceris; gaudie & letare te dignum effectum esse, qui templum sis Dei. S. Ephrem. de vit. spirit.*

S. GERMANUS EPISC. 31. Iulii.

**G**ERMANVM Musæ ad summos honores evexe-  
Grunt. In his positus cùm animum ad indigna  
munere suo studia dimitteret, & venandi amore  
illectus Palladi jam Dianam præponeret, monitor  
adfuit Amator urbis Pontifex, & arbore, in quâ  
ferarum capita defixerat, excisâ, insanum etiam  
venandi studium ex ejus animo extirpavit. Etsi  
enim iratum fugere aliquandiu Amator est coa-  
ctus, rediit tamen paulò pôst, & inermem in tem-  
plo GERMANVM aggressus captum amicâ vi in  
sacerdotem attondit, infulæque suæ moriturus  
heredem fecit. Inde alium jam vidisses GERMA-  
NV. Nemo modestior illo. Nulli digniores in-  
fulâ mores, ille cilicio corpus vestire, ille præter  
panem hordeaceum & mortis monitorem cine-  
rem nihil in mensam admittere. Ille redditus in  
pauperes dispensare, & cùm ex his uni tres reliqui  
aurei essent, jubere, ut hi etiam illis in prædam  
cederent. Verùm cùm ex his unum minister ser-  
vasset, Numenque pro binis ducentos dono sub-  
mississet, notavit scilicet GERMANVS avaritiam il-